

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Cordelle, Jean - candidat / Patin, Guy -  
président. - An sanguis per omnes  
corporis venas & arterias jugiter  
circumfertur.**

**1670.**

**Paris**

**Cote : ms 79 n°1235**

# Q U Æ S T I O M E D I C A

## QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

### IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS XVIII. DECEMBRIS.

M. GUIDONE PATIN, Doctore Medico, & Professore Regio, Præfide.

*An sanguis per omnes corporis venas & arterias jugiter circumfertur?*

**Q**UOD vivimus calori tribuendum, quod aliquandiu, nutritioni, quâ Natura dum perpetuò facit quod continenter defluit, vitam quidem efficit longulam, non tamen æternam. Ad id operis nihil habet accommodatius sanguini, cujus materia chylus est, qui in ore gulaque inchoatus, & in ventriculo perfectus, in us per quas ad jecur contendit venis, aliqua jam sanguinis specie ornatus, ipsius jecoris ipsi sese exhibentis propriâ innatâque vi, totam gerit, capitur ab aliis partibus, illo suam expleturis famem. In venis itaque movetur, non ad modum procurenti flumini, sed perquam lentè, eoque dumtaxat gradu, quo is abit, cui succedit vicarius.

**S**ANGUINEM perpetuò in orbem agi, & Cava ascendente in dextrum Cordis specum delabi, inde egressum in universam pulmonis substantiam excurrere, hinc per venosam arteriam ad levum Cordis sinum iter reflectere, unde in Aortam reliquasque arterias, ut ab his in venas trudatur, in Cor jugi circuito recursum, suave est Harvæi somniantis, aut certe ingeniose ledentis commentum, nulla oculorum fide commendatum (quis enim operam constrictio, non qui in illis rellitit interceptus sanguis. Et apertâ majori arteriâ, totus quidem etiam è venis excidit sanguis, quod per hiantia cœquantium passim venarum & arteriarum oscula transfusus, vâ suo pondere, vel subito deorsum ruat, sufflaminari prædicant.

**S**ANGUINIS circuitio, & in orbem per vasa omnia circumductio, otiosarum mentium pars, mera nubes est, quam amplexantur Ixiones, Centauros & portenta procreant: Mirum quippe quantum hoc uno signamento universa viventium corporum Oeconomia oblectetur, perturbetur, quàm artis Medicæ fundamenta nudare conentantur: Quam Medicus principum præsidiorum subsidio destitutus, inutilis sit, & ferias assidat operæ implorentem lucem oculos tantisper aperiant, facillimè cum errorem, quem rei novitas attulit, Naturæ ratione depellant.

**S**ANGUINEM toto corpore circumferri, adeo Naturæ instituto adversatur, ut assiduo isto motu universæ nutritionis ratio evertatur, damnaque gravissima incurrantur. Nam si è sanguinis in venis reconditi penu semper aliquid demitur, ad id faciendum, quod è singulis excidit partibus: cum hæc ad suum opus expendum aliquid sibi depolcant temporis spatium: sanguis vero simul accedat, & recedat, nulli moram faciat, quo tandem pacto vitam herere, in illarumque substantiam abire & converti poterit: Rem propius intueere, non modo inutilem esse, sed more publicanorum molestem, & semper aliquid bonæ rei auferentem deprehendes. Hæc quippe est fluxum detrimentum tandem aliquando casura. Finge autem non jam è qualibet parte sanguinem amore quodam, suisque tutandi causâ & necessitate delectum prolici: sed à Corde pulsam vage currere, quæ pars eo inundante aut ex-

**F**AMOSUM fumosumque hoc dogma quanta in corporum natura, tanta in Arte Medica sequitur perturbatio, rerumque omnium confusio. Nihil enim amplius est in sanguinis missione præsidij, nihil in purgatione, quin illa corpus ipsum accendi, hæc vero inquinari penèque venenari consequens est, nempe cum à suo sanguine, qui in venis superest, mole copiosaque minor sit, & celerius moveatur, motuque ipso incandescat: & Cordis cava, sedem focumque luculentis caloris, sepius subeundo, novum calorem induat necesse est. Qui autem prius quasi sopiti valium tancis ad hærescebant fœdi humores, ubi purgantis medicamenti operâ emoti, cursumque præterlabentis sanguinis sequi in Cordis penetralia deducuntur, & ipsam inquinant, & similem reliquis subinde partibus labem important: Sicque Medicis omni præstanti auxilio destitutis, morbisque ipsis, quos vel sanguinis fervor, vel humorum impuritas peperit, impune grassantibus, quam maxima mortalium strages edetur.

*Non ergo sanguis per omnes corporis venas & arterias jugiter circumfertur.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Franciscus Sorani.  
M. Jacobus le Menestrel.  
M. Carolus Brisset.

M. Nicolas Bonvardet.  
M. Nicolas Rainsant.  
M. Joannes Groat.

M. Antonius Morand.  
M. Ioannes Hamon.  
M. Simon Boulor.

Proponebat Lutetiæ IOANNES CORDELLE, Hamus, A. R. S. H. 1670.